





1796, 3.  
10875  
L E G E S  
I N  
D E L I C T A C I R C A A R B O R E S

---

C O L L E G I T  
S I M V L Q V E  
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S A V C T O R I T A T E  
D I S P V T A T I O N E S  
D E  
T H E S I B V S I V R I S C O N T R O V E R S I  
I N S T I T V E N D A S  
I N D I X I T  
I O A N N E S A V G V S T V S A P E L.

I. V. D.  
C V R I A E S V P R. E T C O N S I S T. L I P S.  
A D V O C.

---

L I P S I A E  
E X O F F I C I N A S O M M E R I A.

LEGE

IN

DELECTA CIRCA ANNO

COLLEGIUM

1792

INSTITUTIONE

DE

ET

THESE

1792

DE

CONSTITUTIONE

1792

DE

DE

DE



Operae pretium fecerit is, qui leges, quibus iuris aliqua quaestio definitur, colligeret, iisque diligenter expositis, et ad singulas causas in quantum fieri potest applicatis, quaestionem illam ex omnibus fere partibus illustratam redderet, vix ab ullo in dubium unquam vocatum est. Reliquerunt enim interdum legumlatores quaedam sanctionum suarum capita operae iuris studiosorum, ut vel colligendo supplerent, quibus repetendis legum gravitas immorari nollet, vel explicando singulis causis accommodarent, quae legislatoris sapientia de genere constitui vetaret. Duplici autem ratione hoc argumentum elaborari potest. Nimirum vel ita quaestionis expositio tractari poterit, ut, quae circa eam iuris sint, aut in iudiciis iurium instar obtineant, ordine iusto exponantur, et totius rei ambitus usui accommodatus exhibeatur, vel doctrinae magis, quam usui ipsi inseriundo pristini temporis simul monumenta addantur, e quibus ordo, quem iuris disciplina et in legibus ferendis prudentia pro gentium indole et saeculorum genio servauerit, conspici possit. In utroque genere, qui egregie operam nauarent non defuerunt, neque cum illud ad usum ipsum faciat, hoc causas usus ac rationes demonstrat, facile erit definiendum, utrum altero praestantius et tractatu dignius iudicandum sit; nisi consilium scribentis fortasse atque occasio suadeat, ut hoc sibi magis, quam illud eligat. Id quod in primis in libello academico ita se habere videtur, cuius vis et pretium nisi auctoris celebritas,

aut eruditionis copia et in disserendo subtilitas mire eum commendent, adeo, si solum usum spectes, tenue est, ut in eo conficiendo rectius doctrinae quam usui consulendum esse videatur. Haec mecum reputans, cum de delictis in arbores commissis paucos, <sup>1)</sup> qui copiose, antiqui aequae ac noui iuris ratione habita exponerent, inuenirem; eiusmodi autem delicta saepius committi, insignis legum de iis cauentium multitudo satis doceat, periculum in his legibus colligendis facere proposui. Neque vero parum diuersae variarum gentium leges in huius generis delicta animaduertent. Aliae enim minutissimis arborum laesionibus crudelissima supplicia minatae sunt. <sup>2)</sup> Aliae, in syluis alienis arbores caedentes, ne ulla quidem poena affecerunt <sup>3)</sup> Separato itaque ordine leges illae exponendae

1) Ceteris copiosius hanc rem tractauit IOAN. OTTO TABOR in *Rationibus ad tit. Pand. Arborum furum caesarum*, qui liber primum prodit Argens. 1651. 4. Insetus etiam est eius *Tractatus Lips.* 1718. Fol. p. 212-224. Sed uti ex titulo iam apparet, ad ius Romanum magis, quam ad Germanicum et Saxonium pertinet.

2) Singulare huius rei exemplum KLIGNERVS exhibuit ad JODOCI BECKII *Tract. de Jurisdictione forestali* Cap. VII. §. 6. n. d. p. 621 ex instrumentis de anno 1684. *dass niemand Bäume in der Mark oder Grenze*

*man sein Nabel aus seinem Bauch schneiden und ihn mit demselben an den Baum machen, und denselben Baumscheeler um den Baum führen, so lange, bis ihm sein Gedärm alle aus dem Bauch um den Baum gewonnen seyn.* Cf. etiam STISSER *Forst und Jagdhistorie der Deutschen*. S. 46.

3) *Si quis Burgundio aut Romanus syluam non habeat incidendi ligna ad usus suos, de iacentiis et sine fructu arboribus in cuiuslibet sylua habeat liberam potestatem, neque ab illo, cuius sylua est, repellatur.* *Lex Burgundionum* tit. 28. *De indulta generaliter incidendorum lignorum licentia* n. 1.

esse videntur ita ut de Romanorum, Germanorum et Saxonum legibus agatur singulis sectionibus, et quo facilius triplici hac ratione argumentum tractare possimus, omnino praemittenda erit, de variis modis, quibus in arbores delicta committantur, brevis disquisitio.

## Section I.

### *De notione delicti circa arbores commissi.*

#### §. 1.

##### *Delictum quod hic dicatur.*

De vera delicti notione copiose exponere, a proposito nostro longe quidem alienum foret, consilii tamen videtur, quo sensu hoc in libello delicti vox occurrat, verbo saltem tangere. Delicti scilicet nomine hoc loco *omne factum* intellexi, *lege poenali in ciuitate prohibitum*. Quae definitio, cum fortasse minus apta vel ideo videri possit, quod actionis indolem ab effectu, eoque ne naturali quidem, sed arbitrario repetat, hoc unum monere liceat, me, cum haec scriberem, in delicti naturam inquirere nec voluisse, nec debuisse. Etenim id non erat agendum, vt qua ratione genus quoddam delictorum puniendum sit, exponatur, sed, ut quomodo ex legum dispositione puniatur, appareat.

#### §. 2.

##### *Arbor, quae dicatur.*

Inutilis fortasse ac supervacanea censeretur disquisitio, quid sub arboris voce in libello, de delictis circa eas agente, intelligatur.

Diligentem autem legum studiosum, fugere nullo modo potest, vobis nonnullis, notionem ab illa, qua vulgo occurrunt, aliquantum diuersam haud raro a legibus subiici. Id quod et hic, ubi de arboribus quaeritur accidisse videmus. Leges nimirum, quae de iis disponunt, non stricto illo solum sensu arboris vocem accipiunt, quo in consuetudine ea uti solemus, sed et alias plantarum species hoc nomine insigniunt, quae arbores plerumque certe non dicuntur. *Arborem* scilicet in uniuersum leges vocant *plantam*, *trunco ligneo et radicibus solo cohaerentem*, quare in legibus hoc nomine etiam *vites* 4) veniunt, *hederæ* 5), *arundines* 6), *lupulus* 7) *salices novellae*

4) L. 1. §. 3. D. De arbor. caedend. *alles, das nutzbare Früchte erget.* Vox *Arborum* appellatione etiam *vites* continentur. L. 3. pr. D. Arb. furt. caesar. *Vitem arboris appellatione contineri, plerique veterum existimauerunt.* Sic. v. g. PLIN. Hist. Nat. L. XIV. cap. 2 *Vites*, inquit, *iure apud priscos magnitudine inter arbores numerari solent.* Neque Romanae tantum leges, sed et Germanicae *vites arboribus adnumerant.* *Lex Salica* v. c. cum titulo 8 de poena arborum furto ablatarum egit, ita pergit: *hanc quoque legem et de vitibus furatis observari iussimus, et Glossa Germanica, vocem berende boume, in SPEC. SAXON. Lib. II. art. 2§. obuiam, interpretatur: Unrer diese gebören Eichen, Buchen, Weinstöcke, Feigen, Kastanien, Aepffel und Birnbäume, und*

enim *beres* siue *bären*, Alamannorum, Gothorum et Anglosaxonum communis, praeter animalia etiam de terra et plantis dicitur. Vid. WACHTER h. v. Similiter in *Const. Elect.* 37. P. IV. *vites* disertis verbis arboribus adnumerantur. *Diejenigen so fruchtbare Bäume, als Eichen, Buchen, Aepffel und Birnbäume, Weinstöcke — — und dergleichen abbauen, etc.*

5) L. 3. §. 1. D. Arbor. furt. caesar. *hederæ* ab VLPIANO arboribus adiiiciuntur, licet, ut etiam TABOR in *Racem. Defin. criminal.* monet, *arbores proprie non sint, sed barbarum porius genere continentur.* Fortasse insignis nonnullarum specierum magnitudo arboris nomen *hederæ* conciliauit. PLINIVS verbi causa, si fides



in salicto<sup>8)</sup> positae, *arbores exoticae*,<sup>9)</sup> et *arbusculae recenter insitae*<sup>10)</sup>. Sed, vt hae et aliae plantarum species, recte arbores dicantur, necessario in legibus requiritur, vt radices conceperint, quibus solo in-

ei habenda est, ubi inter ipsas arbores hederæ mentionem facit, *arbores*, inquit, *necat candida, omnemque succum auferendo, tanta crassitudine augetur, ut ipsa arbor fiat.* *Hist. Nat. XVI. 62.* Utrum autem hodie arbores recte dicantur hederæ, iure in dubium vocari potest. Licet enim auctores *Consultationum Constitutionum Saxonicarum Tom. II. Part. IV. Quaest. 5. n. 2.* et qui eos secutus est, *BERLICHIVS in Conclus. practicab. Part. V. Conclus. 52 n. 24* hederæ in enumerandis arborum speciebus mentionem faciant, vix tamen is, qui hederam caeciderit, aliove modo corruperit, eius instar, qui idem delictum in arborem commiserit, punietur. *Const. Elect. 37. P. IV* enim, quae ad Consultationem citatam respicere videtur, hederæ nullo verbo in arboribus mentionem facit. Rectius igitur herbis coronariis, de quibus in fine *Const. cit.* praecipitur, adnumeranda esse videtur.

6) *L. 3 §. 1 D. eod. etiam arundines* arbores vocantur ob insignem fortasse earum utilitatem, et eximiam qua-

rundam specierum magnitudinem. Sic *PLIN. Hist. Nat. XVI. 65. Arundini Indicae*, inquit, *arborescens est amplitudo.* — *Nauigiorum etiam vicem praestant, (si credimus) singula internodia.* Teste *HERODOTO* aedes adeo ex arundine in quibusdam locis exstruebantur. Sardibus enim capitis, uti refert, Persae nullam praedam ex hac copiosa et opulenta urbe retulerunt, quod domus ex arundine constructae, igne iniecto, incendio statim absumtae sint. Etiam Sineses, si Auctori Anonymo *Sinae et Europae c. 34* fides habenda est, domus suas ex arundine extruxerunt, quae ad riuum quandam prope Kigning in prouincia Chucheu, insigni copia, ferrea duritie, altitudine eximia et adeo crassae producerentur, ut tribus manibus stringi non possent. Ex *TABORIS* sententia arundinetum syluae caeduae adeo in legibus Romanis comparatur, nescio autem an loca ab eo allegata id satis probent.

7) De lupulo arboribus adnumerando vid. *Cons. Consz. Sax. Tom.*

haerent, <sup>11)</sup> quam ob causam saligneas virgas salicti instituendi causa defixas, tunc demum, si radices egerint, arbores habendas esse, expressis verbis monet L. 3 §. 3 D. Arb. furt. caes. ubi haec leguntur verba: *Sed si quis saligneas virgas, instituendi salicti causa defixerit, haeque, antequam radices coegerint, succidantur aut evellantur, recte Pomponius scripsit, non posse agi de arboribus succisis, cum nulla arbor proprie dicatur, quae radicem non conceperit.* Vsus tamen in foris Saxonice ab his iuris Romani argutiis quodammodo decessisse videtur, ita, vt saligneae virgae, salicti instituendi causa defixae, licet radices nondum egerint, pro arboribus

II. Part. IV. Quaest 5 n. 2. Vnnd der halben sollte unsers Erachrens auch der Hopff vnd gepfropfte junge Bäume werden, quae sententia in Const. El. cit. expressis verbis confirmatur, ubi inter arbores referuntur: gepfropfte junge Bäume, Hopffen u. s. w. Cf. etiam BERLICH l. c. n. 25.

8) L. 3. §. D. Arb. furt. caes. Cons. Const. Sax. l. c. Const. Elect. cit. BERLICH l. c. n. 29 CARPZOV Part. II. Quaest. 83 n. 12.

9) BERLICH. l. c. n. 30 ficum tantum mentionem facit, Reliquae vero species subintelligendae videntur.

10) Vid. nota: 7.

11) L. 3. §. 3. D. iir. cit. — — cum nulla arbor proprie dicatur, quae radicem non conceperit; atque idem

apparet ex Glossa Germanica ad art. SPEC. SAX supra allegatum, ubi legitur: Nun möchstu fragen: Ob dann auch der, so solche weyden oder Linden neme, welche darum, dass sie nenlich gesarzt worden, noch keine wurzeln gewonnen hetten, gleichwol die straffe darum leiden solte, dass man ihn benken möchte, oder ginge allein das Recht über ihn, da er bie von sager? Sage, ob er ibr dreyer gülden werth gestolen hette, so hing man ihn darum billig. Were es aber nicht so viel werth, so möchte man ihn zur staupen schlagen. Dann dis holtz ist mehr gehauenem holtz zu vergleichen, als den bäumen, darum das gesetze bäume nicht für bäume zu achren sind, sie haben dann wurzeln gewonnen.

habeantur <sup>12)</sup>. — Sed et Romanae leges quasdam arbores agnoscunt, licet solo radicibus nondum cohaereant. Hoc nimirum iure singulari apud Romanos gaudebant *arbusculae*, ex *seminario stirpitus translatae*, quas, licet terram (in quam scilicet transplantatae sunt) nondum comprehenderit, arbores tamen haberi, l. 3 §. 4 *D. Arb. furt. caes. docet*; <sup>13)</sup> porro *stirpes oleae* siue iam egerint radices, siue

12) Cf. BERLICH l. c. n. 21 et qui eum secutus est: CARPZOV. *Parr. II. Q. 83 n. 14.* Responsum autem, quod uterque ex COLERI *Decis. 145. n. 6. P. I.* refert, frustra apud eum quaeritur, qui praeter verba huius responsi initialia: *also, dass auch eine jede Satzweyde* ne verbo quidem huius Berlichii et Carpzovii sententiae mentionem facit.

13) Verba legis haec sunt: *Quod si quis ex seminario, id est stirpitus arborem transulerit: eam, quamvis nondum comprehenderit terram, arborem tamen videtur, Pomponius libro nono decimo ad Sabinum probat.* — Mire in hoc loco explicando TABOR in *Racem cit. n. XI* laborat. Multis enim ingenti eruditionis adparatu de stirpium et radicum discrimine praemissis, verbis: *quod si quis ex seminario, id est stirpitus arborem transulerit, delicti euulsarum arborum descriptionem inesse opinatur, ita, us sententia bu-*

*ius paragraphi, una et simplex*, uti ait, *haec sit: Quia nouellae plantae, quae in seminariis adulescunt, iam arbores sint, seu lata arborum significatione continentur, ideo, simulatque quis eas transulerit, delictum hoc committi.* — Haud obseruasse videtur vir praeclarissimus, multum disferre arboris translationem i. e. transplantationem (*Verpflanzung*) ab eiusdem ablatione, *Entwendung*; (quis enim v. c. legem 3. §. 4. *D. De sepulc. viol.* de corporibus furto ablati interpretabitur?) neque in uniuersa hac lege de delicto, sed de delicti tantum obiecto agi, verba igitur, *Si quis transulerit*, nullo modo idem valere posse, ac si dixerit *Ulpianus: Si quis abstulerit.* Sensus huius paragraphi rectius hic esse videtur: Arbor quidem nulla habetur, quae radicibus terra non continetur; sed si arbor ex seminario stirpitus (i. e. radicibus, BRISS. *h. v.*) euulsa et in alium locum ut ibi adhaerescat, trans-

nondum 14). Cuius exceptionis causa nonnullis in eximio fructu et mira in iis colendis diligentia ponenda esse videtur. Vtrum vero arbor arida, quae terra adhuc continetur pro arbore habenda sit nec ne, magna inter leges earumque interpretes orta est dissensio, *Lex 3. §. D. Arb. furt. caes.* disertis verbis arborem aridam nihilominus pro arbore habendam esse docet 15). Cui tamen sententiae

plantata fuerit, (quod quotidie in hortis et villis a hortulanis et rusticis sine crimine fieri videmus) statim licet in terram novam radices nondum egerit, arbor habetur. Quod si ad delicta adplicare velimus, apparet, eum qui arborem, ex seminario recenter transplantatam caeciderit, idem delictum commisisse, ac si arborem, quae radicibus terram iam coegerit, caeciderit. Haud dubie autem Glossa huic loco adiecta circumductus Tabor sensum legis ipsius paululum neglexit.

14) *L. 3. §. 7. D. eod.* Ex natura stirpis ТАВОР iam saepe commemoratus huius legis causam repetendam esse putat. Sed eius rationes accurate considerantem fugere nequit, germinis, stirpis et propaginis notiones, iusto paulo confusus apud eum occurrere.

15) *Ideo ea quoque arbor esse videtur, cuius radices desinent vivere, quamvis adhuc terra continetur.* — Ita, Flo-

rentinus Codex sine haesitatione, ut Tabor ait, legit. Nescio autem an is, qui paulo accuratius verba inspicat, sine haesitatione ita legere possit. Futurum enim verbi desinere tempus, quod omnia, quantum certe inspicere licuit, Pandectarum exempla, ad normam Codicis Florentini excussa, uno animo agnoscunt, integram paragraphum adeo vitare videtur, ut nullum fere sensum legis reddat. Quis enim unquam dubitavit arborem esse arborem, quae in futurum aliquando *arefiet*? Num lege aliqua opus fuit, quae hoc nos doceret? — Nisi igitur ex Basilicorum lectione tempus praeteritum (*ἐξηλαθῆσαν*) transferre velimus, ut legamus *desierint*, nullam quodammodo habebimus legem. — Vtrum autem hanc ob causam paululum corruptus, et ex Basilicorum lectione emendandus hic Digestorum locus censendus sit, Criticorum iudicio relinquendum erit.

e diametro veluti opposita sunt Basilicorum verba: <sup>16)</sup> οὐδὲ δευδρον  
 ἐστὶν οὐρως αἱ ῥιζαὶ ἐξηρανθῆσαν, καὶ ἰσθῶραι. Iam quaerebatur utra  
 ectio praeferenda videretur, affirmatiua Papdectarum, an negatiua  
 Basilicorum? Pro affirmatiua maxime textus Florentini auctoritas et  
 praeter hunc inprimis TABOR. loc. cit. n. XII-XVI copiose pug-  
 nat <sup>17)</sup>. Sed si verum fatendum, argumentum, quo in primis sen-  
 tentiam suam tueri opinatur, vocem scilicet: *quamvis* in lege citata,  
 ad descriptionem arboris pertinere, ut sensus sit: *Arborum quarun-  
 dam radices viuere desinere, utcumque adhuc terra contineantur, et  
 tamen arbores manere, vix stare posse videtur, cum singularis verbi:  
 contineatur* <sup>18)</sup> numerus contra TABOREM et ACCVRSIVM <sup>19)</sup>, (cu-  
 ius auctoritatem in hoc loco interpretando, fortasse ille secutus est.)  
 non ad verbum: *viuere*, et ad *radices*; sed ad verba: *arbor esse  
 videtur τὸ quamvis* respicere, satis aperte doceat. Haud fortius pro  
 affirmatiua sententia argumentum, quod ex nexu §. 6. huius legis  
 TABOR inuenisse sibi visus est, militare videtur, quid? quod ipsi  
 quodammodo aduersetur. Etenim VLPIANVS, qui dicta §. 6. eam  
 quidem adhuc arborem esse dicit, *quae subuersa a radicibus, aut  
 terra euulsa sit*, statim addit: *quae ita translata est, ut reponi  
 possit*, et *Glossa* clarius adhuc: *secus*, inquit, *si iam est sicca*,

16) Basil L. 60. tit. 16. l. 3. cum probe sentiret Tabor in circum-  
 17) BERLICHIVS quoque P. V. descriptione sua, callide scilicet plura-  
 Cond. 52. n. 31. et qui eum contra lem: *contineantur* suppositit.  
 Carpozouium egregie defendit  
 STRAVCHIVS in *Dissertat. ad Ius* 19) vid. ACCVRSII nota ad  
*Iustinian. priuat. Diss.* 19 p. 501. a Tabo- leg. cit. *hoc quamvis non aduertitur*  
 ris partibus steterunt. *ad illud verbum videtur, sed ad aliud*  
 18) In lege scilicet ipsa. Quod *viuere*.  
 B



*et reponi non proficiat.* Lignum igitur aridum, quia terrae inhaereat, arborem ea lex dicat, quae euulsam, quando arefacta reponi nequeat, arborem vocari neget? Negatiuam cum Basilicis sententiam amplexi sunt FABIAN a MONTELEONE <sup>20)</sup>, PROSPER FARINACIUS <sup>21)</sup>, et in primis CARPZOVIVS <sup>22)</sup>, qui poenam ordinariam in Saxonia cessare contendit, si arbor non viua sed arida caesa fuerit. Negari tamen nequit, quod etiam STRAVCHIVS in dissertatione citata monuit, argumentum Carpzoii a cessante legis ratione repetitum contra expressum Pandectarum textum nihil valere posse, eumque sententiam suam ex ipso fori usu haud satis probasse, quod in tuenda sententia legi contraria omnino opus fuisset <sup>23)</sup>. Nisi enim aut lex singularis,

20) In *Praxi super quatuor litteris Mitrbiis Berlich P. V. Concl. 52. n. 3. arbitralibus, P. IV. n. 995.* (31).

21) In *Operibus Criminalibus, Vol. I. tit. 3. Quaest. 20.* ubi ex analogia eius, qui membrum inutile debilitauerit, v. c. oculum occoecatum, pro negatiua sententia pugnat.

22) *Noua Pract. Rer. Crim. Parr. II. Quaest. 83. n. 13. in fine.* Sequitur, inquit, banc poenam cessare, si arbores sint aridae, earumque radices viuere desinant, quia tam damnum inferri dici vix poterit. Cessante igitur ratione dispositionis Saxonicae ipsa quoque cessabit dispositio. l. 6 §. quamvis 2 ff. *De iure patronatus* — quod et conuenit verbis *Constr. Electr. tragende oder fruchtbare Bäume etc. quamvis dissentiat*

23) Neque legi tantum Romanae, verum etiam Saxonicae haec Carpzoii sententia quodammodo repugnare videtur. Ita enim constitutum legimus in *Ausschreiben Churfürst Johann Georg I. d. a. 1611. in Cod. Aug. T. II. p. 613.* *Würde aber einer oder mehr sich künftig vntersangen, dieser vsrer Verordnung vnd öffentlichen Patent zu ent gegen einigerley Gestalt, den Weiden vnd Holzwachs vor sich oder durch andre Mittel, gedacht vnd ungedacht zu verletzen, zu beschädigen, oder zu hindern, vnd also ein oder mehr Weiden, Rüstern und dergleichen Bäume, grün oder dürre, ohne Vorbe-*

aut usus, qui in foris obtinet, legi Romanae derogent, vix mera interpretatione, licet rationibus non sit deslituta, contrarius plane sensus ei subiici poterit, si talis, qualis est, recepta et a Glossatoribus legum interpretandarum veluti tyrannis agnita fuerit. Neque ullum offendant lectio Basilicorum, quippe quorum in foro nullam plane esse auctoritatem satis constat. — Ultimo loco etiam arbores terra euulsas arborum nomine non destitui, siue tempestatis iniuria siue hominum manu haec euulsio facta sit, eadem Pandectarum lex docet <sup>24)</sup> ita vt qui eiusmodi arborem caedat, vel alio modo corrumpat eandem poenam luat, ac si terrae defixam caeciderit. Sed nullo modo negligenda erunt verba: *et poni possit*; etenim si tam diu euulsa iacuit, vt eam reponere inutile foret, lignum rectius, quam arbor censetur <sup>25)</sup>. — Vix admonitione eget, praeter has species, quas hucusque ex Digestorum legibus recensuimus, omnes etiam huc pertinere, quae vulgo arbores recte vocantur <sup>26)</sup>; sed ne nimis vage arborum appellatio transferatur, l. 4 D. cit. tit. eas modo ita vocari iubet, quae paulo adultiores, nec adeo tenerae sint, vt gramina adhuc videri

*wust und Einwilligung des Gerichts- oder Eigenthums Herrn zu beschließen, abzuhauen etc.* Atque eadem fere verba repetit *Eiusd. Mandat. d. a. 1619.* — Haec autem ioca, fortasse quia utraque lex in primis ad terras Merseburgenses directa est, Carpzovius non satis attendit.

<sup>24)</sup> L. 3 §. 6 D. Arb. furt. caes. *Labeo etiam eam arborem recte dici putat, quae subversa a radicibus etiam nunc reponi potest, aut quae*

*ita translata est, ut poni possit.*

<sup>25)</sup> Conf. etiam Glossa ad hanc legem: *licet adhuc non sit posita, secus si iam est siccata, ne reponi non proficiat, quia tunc ligni appellatione continetur.*

<sup>26)</sup> Expresse quarundam mentionem facit, *Const. El.* saepius citata.

<sup>27)</sup> L. 4. D. Arb. furt. caes. *Certe non dubitatur, si adhuc adeo reuevum sit ut herbae loco sit, non debere arboris numero haberi.* Optime ad hunc locum TABOR contra *Coll. Argentor.*

possint 27). Neque tamen hoc ita intelligi debet; quasi impune eiusmodi arbusculae caedi possint et corrumpi, quin id innuere vult, poenam arboris caesae ordinariam hoc delictum non sequi, licet damnum arbusculis satis et recenter natis illatum, nonnunquam nisi grauiori, certe aequae graui poena in legibus coerceatur 28).

§. 3.

*Diuisio delictorum circa arbores.*

Leges, quae de delictis in arbores prospexerunt, tantam eorum exhibent copiam, vt in certum ordinem ea redigere haud leuis sit negotii. Praeter ea delicta nimirum, quae furta arborum dicuntur; maxima eorum quoque pars ad propositum nostrum pertinet, quae delicta circa rem saltuariam (*Forstfrevel*) vocantur, neque omittendum erit id delictorum genus, quod petulantia hominum in arboribus ornamenti voluptatisque gratia in locis publicis, hortisque priuatorum positae saepius committere solet. Seriem horum delictorum vel obiter perlustranti sponte se offert animaduersio, non omnia facta, quibus in arboribus peccetur, delictorum, quae vere criminalia di-

sententiam monuit: hanc legem non de herbarum specibus, arboribus non adnumerandis agere, sed arbusculis tantam adeo teneris, ut herbae magis similes sint, arborum nomen denegare.

28) Conf. *Srollbergische Jagd- und Forst-Ordnung* d. a. 1642. n. XV. Damit das verbaueue Holz wieder geberger werde, so sollen die Holzförster mit Fleiße Achtung haben, dass die Haine

nicht unter 5 Jahren betrieben werden, bei Verlust des besten Stück Viehes. Similiter *Forsi- und Holz-Ordnung im Markgrafthum Oberlausitz* Cap. 7 §. 7. Wer in neu gesäeten oder gepflegten schwarzen Holze durch das Vieh oder sonsten wissentlich Schaden thut, soll nicht nur solchen Schaden ersetzen, sondern auch nach Gelegenheit mit der Strafe 14 Tage oder 4 Wochen Stücke zu räumen belegt werden.



cuntur indolem prodere, magnam contra eorum partem a legibus propterea coerceri, quod iis disciplinae publicae magis, quam securitati externae officiat. Et ita quidem horum delictorum diuisioni via munita videri possit, ut scilicet haec, *vere criminalia*, ab illis, *politiae* delictis distinguantur; nisi antecedere ipsam distinctionem debeat, de adcurate subtiliterque definiendis his delictorum generibus disquisitio, quae, tantum abest, quin praetereundo absolui possit, vt singularem fere libellum requirat. Ceterum, ne utilitas quidem, quae exinde ad poenas delictorum ex legibus definiendas redundare possit, admodum egregia foret, cum leges parum huius distinctionis rationem habeant, ita, vt nonnunquam in delicta contra disciplinam publicam, poena ipsis criminalibus grauiore animadvertant. Alia igitur horum delictorum in classes digerendorum ratio constituenda erit, quae non natura solum delictorum nitatur, sed eo in primis confirmetur, quod leges ipsae in poenis definiendis vel omnino ad eam, vel quodammodo certe respiciant. Eiusmodi diuidendi fundamentum haud temere in fine quaeri posse mihi videtur, quem delicto committendo aliquis intenderit. Plerumque scilicet studium sui, et in specie cupidinem lucri capiendi omnium fere delictorum causam existere videmus, cui studio si illegitime ab hominibus indulgetur, delictum ipsum committitur. Praeter hoc vero lucri studium in delictis, de quibus modo agimus, (non quidem ceteris prorsus exclusis, sed maxime) alia delinquendi causa, scilicet animus nocendi sine lucri inde hauriendi spe animaduertitur. Saepius enim iam obseruatum est, neque deest hodie id obseruandi occasio, arbores, non in syluis solum, sed in locis etiam publicis positas, aut priuatorum liberalitate usui publico concessas, sicut in uniuersum res, quae ex natura sua usui, certe aspectui multitudinis non omnes eripi possunt, sae-

pissime laesas, corruptas, aut plane deperditas reperiri, neque ullo modo indagari posse, quale tandem lucrum ex eiusmodi violatione auctores perceperint. Quae nocendi libido, quomodo ex ipsis animi natura, et gentis cuiusdam indole deriuari possit, nostrum iam non tangit propositum <sup>29)</sup>, neque vero semper vel *dolum malitosum* hoc delictorum genus prodit <sup>30)</sup>, quin saepius ex mera *petulantia* profiscitur, quae tamen si *directa* <sup>31)</sup> est, a dolo ipso nihil fere differt, cuiusque poena in primis ob damnum magni momenti datum ipsius doli poena haud raro aequiparatur <sup>32)</sup>. Hic autem, ubi non de imputandis delictis agendum, sed quibus modis committantur exponen-

29) Egregie hanc rem occasione in scriptis, omnes propositi gradus a quaestione a Societate regia litteraria Göttingensi sub praemio propositae tractarunt: *Johann Jacob Cella* in bello: *Was ist die Ursache, warum wenigstens in vielen Theilen von Deutschland Zierrathen an öffentlichen Gebäuden, Brücken, Geländern, Monumenten, Meilenstulen, Bäume und Bänke und dergl. öfter als in Italien und andern Ländern verdorben werden, Giessen 1793.* et *Samuel Simon Witt* Ueber die Ursachen *unbwilliger Beschädigungen der Zierrathen öffentlicher Gebäude und Sachen und ihre Ausrottung.* Leipzig 1792.

30) In doli et petulantiae notionibus definiendis *KLEINIVM* secutus sum, qui in libro, quem *Annalen der Gesetzgebung in den preussischen Staaten*

dolo inde malitioso (*boshafien Vorsatz*) quinque classibus egregie exhibuit. 31) Liceat nimirum quarti generis, quod *Klein Mulwillen*, nos, quia aliud in latino sermone deficit verbum, *petulantiam* vocauimus, duas distinguere species; quarum altera, *directa* non quidem ad ea, quae factum necessario sequuntur, respicit; altera, *indirecta* in eo tantum peccat, quod eorum, quae cum facto non quidem necessario cohaerent, facile tamen exinde oriri possunt, nullam rationem habuit.

32) Ita v. g. pronunciarunt Scabini Lipsienses ad consultationem *Hildebr. ab Einsiedels* in *Gnandsstein* anno 1609. *Da H. W. geständig oder überführt dass er Bernhardt Helldorfen bei nächtlicher*

dum est, hoc delictorum discrimen non attendendum, neque tamen id negligendum erit, ipsas leges inter delicta, quae solo animo nocendi et ea, quae lucri causa committuntur, quam maxime discernere. 33) Liceat igitur et nobis in ea libelli parte, vbi de poenis horum delictorum sermo faciendus erit, hanc sequi legum distinctio- nem. Superest autem, vt de delictorum in arbores ipsa forma aga-

*Weile aus lauzerm Muzwillen  
95 Sarz- oder Kopf- Weiden zu Grunde  
abgehauen, so wäre er dieselben, vermö-  
ge Sächsischer Rechte, und der Cbur-  
fürstlichen Sächsischen Constitution ge-  
dachtem Heldorfem ibren Werth nach, zu  
bezahlen und darzu jede mit 30 Schilling  
Pfenningen, das seyn zwey alte Schock,  
zu verbüssen schuldig, oder da er sol-  
chen Schaden zu erstatten nicht vermöch-  
te; würde er gestalten Sachen nach des  
Landes ewig billig verwiesen. V. R. W.*

33) Ita distinguunt leges Romanae  
L. 8. §. 1. 2. *Arb. furti caes.* vbi legitur  
*furtim arborem caedit, qui clam caedit,*  
*igitur si caeciderit, et lucri facendi cau-  
sa contrectauerit, etiam furti reuebitur*  
*lignorum causa et condicione et ad exhi-  
bendum.* Etiam leges Germanicas hoc  
discrimen admisse docet *Const. Crim.*  
*Carol. art. 168.* So jemandt sein ge-  
hasen Holz dem andern heymlich  
hin weg führt, das ist eynem dieb-  
stall gleich nach gestalt der sachen  
zu straffen. Welcher aber in eyns

*andern holtz heliger vnd verbotner  
weiss hüwet, der soll gestrafft wer-  
den nach gewohnhey jedes landts  
oder orts.* In primis autem leges  
Saxonicae huius discriminis rationem  
habent. Sic v. g. in Constitutione  
citata legimus. *Diejenigen, so tra-  
gende oder fruchtbare Bäume —  
abhauen mit scheelen oder auch  
in andre wege verderben sollen den  
Werth solcher Bäume bezahlen und  
dazu vor jeden verderbten fruchtbaren  
baum, demienigen so er zuge-  
standen 30 Schilling Pfenninge, thut  
2 alte Schock nach Inhalt Sächsi-  
scher Rechte verbüssen. — Und  
diejenigen welche ihres Genies-  
ses halber Bäume oder gesetzte  
Holtz ohne Vorwissen des Grund-  
herrn abhauen und entwenden  
sollen mit der Strafe des Diebstahls  
belegt werden.* Qua quidem Consti-  
tutione ius Romanum in lege Pand. su-  
pra citata expressis verbis confirmari  
ex Consult. T. II. P. IV. Qu. 5 claris-  
sime apparet.

mus, quae saepissime eadem esse solet, siue lucri causa committantur, siue malitia.

§. 4.

*Forma delicti*

Sicut in vniuersum non id solum damni notione comprehendimus, quo rei alicuius ipsa substantia imminuitur et deterior redditur, sed ea quoque facta ad damni genus referre solemus, quibus rei alicuius incrementum impeditur, ita et in damno arboribus dato hoc eius duplex genus discernendum erit. Prius omni in vniuersum arborum corruptione et deperditione cernitur, cuius iterum varias species leges tam Romanae, quam Germanicae et Saxonicae exhibent. 34) Inutile tamen foret, has quoque species in classes redigere, quod, licet distinguendi fundamenta in legibus haud desint, argumentum in puluerem secare potius, quam disponere dici posset. Sufficiat igitur in delicti forma exponenda ita versari, vt singulas eius species, quae legibus prohibentur enumeremus, id, quod paucis absoluendum erit, ne inutili repetitione immoremur, vbi delictorum, quae hic recensuimus, poena ex variis legibus indicanda erit. Primum omnino in his delictis locum arboris *caesio* occupat, quippe qua arboris natura plane tollitur, ita vt quod antea arbor fuit, iam lignum habeatur. Videamus iam, caedere arborem, quid dicatur? *L. 5. pr. D. Arb. furt. caes.* ita hanc vocem interpretatur: *Caedere*

34. Maximam delictorum in arbores clam et insciente domino caedere, vti apparet ex *l. 7. pr. §. 1. D. Arb. furt. caes.* caedendo committere significat, sed arbores clam et insciente domino caedere, vti apparet ex *l. 7. pr. §. 1. D. Arb. furt. caes.* *Furrim* enim arborem *caesarum* nomine Romanorum leges complectebantur. *Furrim* enim arborem caedere non furrum arbores

est non solum succidere, <sup>35)</sup> sed etiam ferire caedendi causa. Absolutum ergo hoc delictum censetur, licet arbor pro parte tantum sit caesa, i. e. ictibus percussa, in terram vero penitus nondum prostrata, id, quod *l. 7. §. 3. eod. tit.* iterum monet. <sup>36)</sup> Mire autem legumlatores Romani et in primis Praetor in hoc edicto, saeculi sui genio, ad legum verba magis, quam ad sensum respicienti indulserunt. Etenim cum leges <sup>37)</sup> de caesis arboribus agerent, caedere autem, si stricte vocem interpretari velles, securi ferire valeret, neque is, qui serra secuisset, arborem caecidisse dici posset; Praetor singulatim monuit, eum etiam, qui serra secuisset, actione arborum furtim caesarum conueniri posse. <sup>38)</sup> Cuius discriminis leges Germanicas mentionem fecisse, nullibi legimus. — Praeter arborum caesionem idem fere delictum radicitus eas terra euellendo committitur. Dubitauit autem *Vipianus* <sup>39)</sup> huius delicti eandem rationem statuere, ac si arbor fuerit caesa. Is nimirum, vti ratiocinatur, qui arborem euellit, eam nec caedit, nec secat, itaque eius, qui caeciderit instar ex lege haberi nequit. Licet enim idem damnum hoc facto detur, nomine tamen ipso in lege obuiio non comprehenditur. Ita scilicet Romanus. Germaniae contra legumlatores, ad sensum legis ipsius

35) Ita ut cadat, et caput a pede poterat caecidisse intelligi, qui serra separetur. *Glossa.*

36) Etiam si non tota arbor caesa sit, recte tamen agitur, quasi caesa.

37) *Lex XII. Tabb. Tab. II. Lex. 9.* Sei quips alienos arbores enicuriad caesis, endo sinclus XXV. aivis luitod.

38) *L. 5 pr. D. tit. cir.* Non enim

39) *L. 7. §. 2. D. eod.* Si quis radicitus arborem euellerit vel extirpauerit, bac actione (arborum furtim caesarum) non tenetur neque enim vel caedit, vel succidit, vel subsecuit. Aquilia tamen tenetur quasi ruperit (i. e. corruperit *l. 27. D. ad Leg. Aquil.*)

magis, quam ad eius verba intenti, has iuris Romani argutias spreverunt, et inter euellentem arborem eamue caedentem nullum discrimen posuerunt. Ita v. c. de hoc crimine disponit *Ordinatio Polit. Ducat. Magdeb. c. 72. §. 1. 2.* Derowegen ordnen wir, da jemand einen Apffel - Birn oder andern fruchtbaren Baum, oder auch eine Weide und andern wilden Baum freventlich aussrisse, abhiebe, oder in andre Wege verdürbe, oder durch das Vieh verderben liesse, dass derselbe einen jeden abgehauenen, oder verderbten Apffel - Birn - oder andern fruchtbaren Baum so hoch derselbe und der verursachte Schaden gerichtlich gewürdert wird, für eine Satz Weide aber, wie auch für einen Fexer im Weinberge einen Reichs Thaler, und vor eine erwachsene Weide oder andern wilden Baum zwey, drey, auch mehr Thaler, nach dessen Grösse und Werth dem Eigenthums Herrn bezalen, und denen Gerichten, darinnen solcher Frevelschaden geschehen, in wirkliche Strafe verfallen seyn soll. Und da jemand aus Frevel oder seines Genieses halber gepfropfete Bäume abbrechen, oder ohne Vorwissen des Grund Herrn ausreisen, abschneiden oder abhauen, oder gar entwenden würde, der soll nach des Schadens Wichtigkeit mit Gefängniß und Landesverweisung oder nach Gelegenheit des Verbrechens mit Staupenschlägen unmahlässig gestrafft werden. Idem in Saxonia in *Const. Elect. 38. Part. IV.* ordinatur. Diejenigen so fruchtbare Bäume — — abhauen, mit scheelen oder auch in andre Wege verderben, 'quibus verbis' et euulsionem arborum comprehendi, BERLICHIVS<sup>40)</sup> et CARPZOVIVS<sup>41)</sup> testantur, neque vlli dubio locus relinquitur, si hanc interpretationem ex

40) *Conclus. pract. P. V. Concl. 32.*  
n. 20.

41) *Noua Pract. P. II. Quaest. 83.*  
n. 14.

Consultatione saepius citata, qua omnis haec Constitutio nititur, petimus. Ita nimirum versu 4 et 5 legitur: *Hierüber tregt sichs auch oftmahls zu, das die Bäume nicht allein abgehawen (wie der Text in d. a 28 redet) sondern geschelet, ausgezogen, ausgegraben, oder sonst in ander Weg verderbet werden, wiewohl nun actio arborum furtim caesarum, vnd demnach poena iuris Saxonici in dem fall sonder Zweifel statt hat, Quando arbores deglubantur et quoquo modo subsecantur, etiam si non totae caesae sint. l. caedere in princ. et l. furtim, vers. etsi. ff. arbor. caesar.* So ist dämmoch solches eo in casu Zweiffelhaftig, da die Bäume aufsgelhawen, aufsgegraben, vnd ausgerottet werden, cum is, qui arborem radicitus euellit, vel extirpat, non caedat, succidat, vel subsecet, Sicque hoc casu de iure communi legis tantum Aquiliae actio competat. d. l. furtim in princ. Dieweil aber gleichwol solche Aufsggebung (fortasse Aushebung) oder Aufshawung der Bäume denjenigen, denen sie widerfehret, ja so schädlich als, wann die Bäume abgehawen oder sonst verderbt werden, so solte vnfers vnderthenigsten Erachtens nicht vnbequem sein, das poena iuris Saxonici cum reparatione damni in diesem Fall auch disponirt vnd verordnet würde. — Altera damni arboribus dati species ea facta comprehendit, quibus arbores non quidem plane perduntur, sed mutilantur. Romanae leges in huius generis delictis indicandis vno verbo cingere vtuntur, 42) quo uti lex ipsa interpretatur, arborem deglabrare, i. e. ex vulgari sen-

42) L. 5. pr. D. Arb. furt. caes. Cingere est deglabrare. Quod verbum R V S sub b. v. exemplis probauit. Re-  
liquae arborum mutilationes in gene-  
re ex lege Aquilia diiudicantur.  
care valet, et alibi occurrere G R S N E-

tentia *decorticare* intelligitur. Sed Germanicae leges et Saxonicae, praeter arborum nondum caesarum *deglabrationem* 43) plurimum eiusmodi corruptionum mentionem fecerunt. Quo pertinent *ramorum et radicum amputatio*, 44) *exsoliatio* 45) et reliqua huius generis delicta, de quibus opportunior erit infra disserendi locus, ubi de ipsis delictorum poenis agetur. — Denique etiam arboribus damnum positivum inferri potest factis, quibus immediate quidem non laeduntur, quorum tamen ea est indoles, ut si minus caute peragantur, maximum inde arboribus damnum exoriri possit, quapropter ipsa eiusmodi facta, cum cautissimi homines nunquam praesumantur, legibus plane sunt prohibita. Huc pertinet exempli gratia vsus *Nicotianae*, cuius *funnum in sylvis ducere* ob incendii periculum plerisque in legibus cautum est. 46) Eandem ob caus-

43) Arborum decorticationem in omnibus fere legibus circa rem saltuarium latis prohibitam legimus. Conf. FRITSCHII *Corp. Iur. Forest. Part. III. p. 158. 359. 520. etc.* Nec non Saxonicae leges, ubi de arboribus non caedendis praecipunt, semper eodem modo decorticationem prohibent, quod etiam in *Const. El.* saepius citata factum esse deprehendimus.

44) Vid. v. c. *Forst und Holz Ordnung im Markgrathume Ober Lausitz Cap. II. §. 10. Stangen und stehend Holz zu brechen ist gänzlich verboten. Wie denn auch die Holzleser keine flachliegenden Wurzeln*

*an den stehenden Bäumen ausbrechen sollen.*

45) *Hessen Casselsche Forst und Holz Ordnung d. a. 1683.* ubi legitur, *Laubstreifen, weil dasselbe dem jungen Holze schädlich ist, soll dasselbige abgeschafft und nicht gelitten werden.*

46) *Ober Lausitzer Forst und Holz Ordnung Cap. II. §. 1. Das Feuern und Tobakrauchen der Schäfser, Hirten, Holzschläger, Fuhr- und anderer reisenden Leute, auch der Zimmerleute in den Holzungen, wird von Walpurgis bis Martini gänzlich, und nach Befin-*





sam combustionem herbarum aridarum prohibitam saepius reperi-  
mus. 47 Porro iis, quibus domini sylvarum ex liberalitate ius le-  
gendi ligna arida concesserunt, interdictum est, ne securibus, vncis  
aliisque instrumentis sylvas ingrediantur, quo minus scilicet huius  
concessionis abusu damnum aliquod arboribus inferatur. 48) Summam

*den bei Leib und Lebensstrafe und Förstern an denen Orten, wo  
verbothen. keine Gefahr zu besorgen verstattet  
werden.*

47) *Gothaische Jagd und  
Forst Ordnung 10ter Haupt-  
punkt. Es soll sich keiner unterfan-  
gen Heyden oder alt Grass vor dem  
Gehölz abzubrennen. Idem in Saxo-  
nia praecipiant Resolutions  
Puncte Friderici Augusti d.  
28. Aug. 1697. in C. A. T. I. p. 587.  
vbi n. 24. haec leguntur verba: Die  
sogenannten Waldfeuere, deren  
sich die Holzschläger, Köhler und  
Hirten gebrauchen, diese auch in  
Abrennung des alten Heyde- und  
Fahren-Krauts, dergleichen zu un-  
ternehmen pflegen, und vielmahls  
grosse Feuer-Schäden verursachen,  
sollen bei der in der Holz Ordnung  
de Anno 1560 und in dem Mandat  
de Anno 1670 gesetzten Geldbusse,  
als zwey gute Schock, oder nach Be-  
finden, Leibes Straffe, verhüttet,  
und das abrennen des alten Gra-  
ses und Heyde Krauts andrer Ge-  
stalt nicht, als in beyseyn der Ober-*

*und Förstern an denen Orten, wo  
keine Gefahr zu besorgen verstattet  
werden. Multo atrocius autem de-  
lictum censendum est ipsum sylvarum  
incendium dolose paratum, cui quam-  
vis rarissime obuiio, recte tamen gra-  
vissimam paenam leges minantur.  
Cuius illustre exemplum KLIGNE-  
RVS exhibet ad BECK. p. 628: und  
ob der Wald von jemand frevent-  
lich angestosen wird (Vocem an-  
stosen idem valere quod accendere  
probauit HALTAVS s. v. ansto-  
sen), dem soll man Hände und Füs-  
se binden, und zu dreyenmalen in  
das grüeset und dückist Feuer werfen.  
kommt er dann daraus, so ist der  
Frevel gebüßt.*

48) *Ober Laus. F. u. H. O. Cap.  
II. § 10. Die Holzleser — — müssen  
ohne Waffsen, oder welches eines,  
ohne Axt, Beil, Haken und derglei-  
chen zum Holzlesen gehn. Idem  
omnes fere Ordinationes circa rem  
saltuariam sanxerunt. Conf. Fritsch.  
Corp. Iur. For. P. III.*

autem curam leges adhibuerunt ne *pecoris adpulsu* arbores, in primisque arbusculae nouellae corrumperentur. Quare vel omnibus animalibus, certe quibusdam eorum generibus, in primis *capris* pastum in syluis denegarunt. 49)

Hucusque de eo damni genere diximus, quod *positiuum* vocatur et *factis* arboribus infertur. Sed *omittendo* etiam circa arbores delinqui potest, ita, vt *lucrum* aliquod *cesset*. In legibus quidem antiquioribus, ea aetate latis, vbi in Germania in syluis diminuendis magis, quam augendis, legum cura versabatur, vix aliquid de arboribus curandis sancitum inuenimus. Recentioribus autem temporibus, cum sylvae eo magis quotidie destruerentur, quo plura ligna aedibus extruendis, aliisque vsibus consumerentur, non solum de arboribus seruandis, verum etiam plantandis et alendis leges statuere coeperunt. Sed maioris mortalium partis ea est indoles, vt vltro et sponte legibus obedire recusent. Arborum igitur plantationem, quam res ipsa haud satis suadere videbatur, mox sub poena iubere, aut alio modo eius necessitatem subditis iniungere legislatores coeperunt. 50) Ea itaque ratione *intermissa arborum plantatio* in numero delictorum hoc loco recensenda esse videbatur. Ceterum et ministri rei saltuariae officio male functi vario modo circa arbores delinquere possunt, quae

49) *Ob. Laus. F. u. H. O. Cap. Cont. T. II p. 1523 et Eritsch Corp. II. § 3 Die Hütlung der Ziegen in den Gehölzen wird wiederholt schlechterdings und gänzlich verboten et Cap. 7. §. 9.* Vid. etiam *Generale zur Einschränkung und Abstellung der Missbräuche im Holzwesen d. 16. Iuly 1753 n. 6. in Cod. Aug.*

*Iur. For. P. III. plerisque in locis.*  
50 *Mandat wegen Pflanz- und Pflropfung der Bäume v. 11. Mai 1726 in Cod. Aug. Cont I. pag. 523. Ob. Laus. F. u. H. O. Cap. II. § 21 — 26.*

singula facta rectius in ea libelli parte exponenda erunt, vbi simul eorum poena ex proposito nostro addi poterit.

§. 5.

*In quibusnam arboribus delinqui possit.*

Expositis iis, quae ad formam delicti definiendam pertinent, superest, vt, antequam ad ipsas delictorum poenas accedere possimus, de eo adhuc quaeramus, in quibus arboribus delinqui dicatur? Videmus enim et sine crimine arbores caedi, cingi et succidi. In vniuersum ita huic quaestioni responderi posse videtur, arbores *alienas* caedere non licere, donec, quo iure caedantur probetur. <sup>51)</sup> Quare etiam CARPZOVIO <sup>52)</sup> teste, ne emphyteutae quidem arbores in fundo emphyteutico positas caedere licet, nisi alias caesarum loco plantare velit. Sed interdum adeo *proprias* arbores caedendo delinqui potest; leges nimirum facultatem ligna et in propriis syluis caedendi vario modo circumscripserunt. Quod vsum sylvarum quodammodo cohibendi ius, vtrum principi tanquam legislatori, salutis publicae causa an iure superioritatis forestalis competat, huius loci non esse videtur disquirere. <sup>53)</sup> Neque ille ipse modus, dominis in vsu sylvarum ex legum praeceptis tenendus, hac libelli par-

51) Iure Romano e. g. si arbor in aedes, vicini impendebat, dominus arboris eam caedere tenebatur, quod si facere nollit, vicino ius caedendi lignaque tollendi competebat, Conf. Tit. D. De arb. caed.

52) ad. Const. 58. P. II. Df. 24.

53) Copiose effectus superioritatis

territorialis exposuit BECK in *Tract. De Iurisd. forest.* et KLINGNER in *Supplementis ad hunc Beckii librum.* Multa etiam nuperrime hac de re erudite disseruit WEBER in *Diss. De suprema principis in sylvas inspectione.* Lips. 1796.

te in genere exponendus esse videtur, cum in qualibet fere terra speciales circa hanc rem leges disponant, modumque praescriptum excedentes varia ratione coërceant.

At, haec sufficiant de iis, quae collectioni legum in delicta circa arbores praemittenda putauimus. Tribus sequentibus autem ipsae leges enumerabuntur sectionibus, quarum *secunda* leges Romanas continebit, *tertia* ius Germanicum circa hanc rem antiquum et nouum explicabit, simulque exhibebit iudiciorum, quae forestalia dicuntur, originem atque progressum. *Quarta* denique sectio iuribus, quibus in Saxonia in primis vtimur, vacabit. Sed alia demum, si quando nobis sese offerat, occasione haec expedire proposuimus.

---

Restat, vt breuius indicemus, cuius causa haec omnia scripta sint. Praenobilissimi nimirum iuuenes nonnulli, ob morum integritatem, et singularem quo ad iuris studium trahuntur amorem, multis nominibus laudandi, disputationum finito studio academico publice instituendarum, me optarunt praesidem et moderatorem. Cum autem in disputationibus, de thesibus iuris controuersi instituendis munere praesidis fungendi facultas, pro more recepto, non nisi specimine quodam antea exhibito acquiratur, qualicumque hac prolusione, Illustris Ictorum Ordinis auctoritate eam obtinere in animo est. Sunt vero, quibus propediem disputaturis prae ceteris placuit, nomina praenobilissima apud me proferri:

CHRISTIANVS SAMVEL LVDOVICVS KAEVFFER  
LVDWIGSDORFENSIS,

CAROLVS CHRISTIANVS HVNGER  
MARIENBERGENSIS,  
FRIDERICVS GOTTLIEB OEHLHEY  
FREIBERGENSIS,  
IOANNES ADAMVS HENNIG  
GERENSIS,  
IOANNES ADOLPHVS FRIDERICVS ALBERT  
GERENSIS,  
AVGVSTVS GOTTHOLD RVDORF  
KRETSCHAVIENSIS,  
FRIDERICVS WILHELM LEHMANN  
CÖLLEDÄNVS,  
IOANNES CAROLVS AVGVSTVS HASSE  
AVMENSIS.

---

Scripti in Vniuersitate litterarum Lipsiensi d. 31. Martij A. A. V.

C1919CCLXXXVI.

---

Emendanda.

Pag. 4 lin. 17. leg. defuerunt. Neque.

lin. vlt. post vocem *prerium* interpunctio minor supplenda.

pag. 4 lin. 1 post *studiosum* interpunctio delenda.

pag. 7 lin. 6 pro *docet* leg. docet.

pag. 8 lin. 5 numerus *Sphi* 5 suppl.

not. 15 post verba Cod. Flor. excussa inseratur: omnesque adeo Codd.

vno *Rbedigeriano*, qui *desinunt* habet, excepto.

pag. 10 lin. 1 pro *igiter* leg. *igitur*.

pag. 11 n. 23 ad fin. pro *ioca* leg. *loca*.

pag. 14 n. 31 pro *non quidem* leg. *ne quidem*.

pag. 17 n. 37 pro *enicuriad* leg. *eniouriad*.

pag. 20 lin. 4 pro *exsoliatio* leg. *exfoliatio*.

pag. 21 n. 48 lin. vlt. pro *Gorp*, leg. *Corp*.

Druckort: Leipzig, in der Buchdruckerei von J. Neumann, Neudamm, 1874.

Verlagsgesellschaft

Leipzig, Diss., 1796  
X. 2309056

ULB Halle


006 232 329

3









Farbkarte #13

B.I.G.

1796, 3

LEGES  
IN  
CIRCA ARBORES

COLLEGIT  
SIMVLQVE  
RVM ORDINIS AVCTORITATE  
DISPVATIONES  
DE  
IVRIS CONTROVERSI  
NSTITVENDAS  
INDIXIT  
AVGVSTVS APEL.

I. V. D.  
SVPR. ET CONSIST. LIPS.  
ADVOC.

LIPSIÆ  
FICINA SOMMERIA.